

**[PETRI AUREOLI SCRIPTUM IN PRIMUM LIBRUM
SENTENTIARUM]**

[QUAESTIO XXXV]

[DISTINCTIO XVII]

[QUAESTIO SECUNDA: UTRUM CARITAS POSSIT AUGERI]

[ARTICULI PRIMUS ET SECUNDUS]

Responsio ad quaestionem.

Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur:

Primo namque discurretur per doctorum opiniones.

5 Secundo vero de augmento caritatis et omnium formarum
accidentalium dicendum erit iuxta id quod videtur.

Tertio quoque inquiretur de augmento caritatis quantum ad
suum terminum, videlicet an procedere possit in infinitum.

10 Quarto vero dicetur de augmento caritatis quantum ad eius
oppositum, quod est diminutio, an scilicet possit diminui cum
effectu.

ARTICULUS PRIMUS

Opinio Thomae secunda secundae, quaestione XXIII, articulo quinto.

15 Circa primum ergo considerandum quod aliqui dixerunt caritatem et omnem formam accidentalem intendi, non quidem *per additionem caritatis ad caritatem*, aut formae ad formam, sed *per hoc solum quod subiectum magis ac magis participat* illam, et subditur illi, et *reducitur in actum illius*, eo quod esse *formae totaliter consistit in eo quod inhaeret susceptibili*. Et ideo formam intendi est eam magis
20 *inesse susceptibili*, non formam aliam advenire. Haec autem opinio fulciri potest rationibus VII superius arguendo primo loco inductis.

Quibus quidem non obstantibus, dicendum est quod est omnino impossibilis, et eius impossibilitas insolubiliter demonstratur rationibus superius inductis primo loco ad oppositum
25 arguendo.

Opinio Godofredi in *Quaestionibus ordinariis*.

Propterea dixerunt alii quod caritas augmentatur per hoc quod advenit nova realitas et novus gradus caritatis, sed, non
30 potentes intelligere quomodo illud quod advenit de caritate possit cedere in numeralem identitatem unius formae, dixerunt quod tota prima corrumpitur, et nova alia generatur primam continens in virtute. Pro hac autem opinione sunt rationes sex superius arguendo secundo loco inductae.

35 Quibus quidem non obstantibus, dicendum est quod est omnino impossibilis, et eius impossibilitatem evidenter demonstrant rationes quae superius sunt inductae secundo loco ad oppositum arguendo.

Opinio Simplicii et plurium aliorum.

40 Quapropter visum est aliis quod formarum intensio fiat per depurationem a contrario, et earum potiolem immixtionem et segregationem ab eo. Haec autem opinio fulciri potest rationibus quatuor superius arguendo tertio loco inductis.

45 Quibus non obstantibus, dicendum est quod est omnino impossibilis, et eius impossibilitas demonstratur ex rationibus tertio loco inductis superius ad oppositum arguendo.

Opinio Henrici *Quolibet* IIII, quaestione XV.

50 Quocirca alii dicere voluerunt quod non fit augmentum per adventum alicuius novae realitatis, sed per hoc quod essentia magis perficitur et vigoratur. Unde fit secundum pluralitatem partium vigoris, et transfertur eadem essentia de minori

55 perfectione ad maiorem, non adveniente nova parte essentiali, sed per hoc quod prima essentia nata est trahi de imperfecto ad perfectum. Haec autem opinio fulciri potest rationibus quatuor superius arguendo quarto loco inductis.

Quibus non obstantibus, omnino stare non potest, et eius impossibilitas est ostensa ex rationibus quarto loco inductis ad oppositum arguendo.

60 Opinio Hervei in *Scripto* et in *Quolibet*.

Et ideo dixerunt alii quod augmentum formarum fit per partes virtuales non signabiles ad invicem, ita quod remissum virtualiter continetur in intenso, sicut sensitivum et vegetativum in intellectivo. Unde sicut ista sunt quaedam partes virtuales eiusdem formae, sic in forma intensa continentur plura in virtute. 65 Iste autem modus continentiae virtualis non est secundum causalitatem effectivam sicut sol continet calorem, nec secundum continentiam formae mixtae sicut mixtum continet miscibilia in virtute, sed secundum continentiam formalem, quemadmodum dictum est de vegetativo et sensitivo quod continentur in 70 intellectivo. Et in primis quidem continentiis virtualibus differunt realiter continens et contentum, in his vero secundum rationem. Haec autem opinio fulciri potest rationibus quatuor superius arguendo quinto loco inductis.

75 Quibus non obstantibus, dicendum est quod est et insufficientis et impossibilis. Insufficiens quidem quantum ad hoc quod dicit augmentum fieri per aliquid insignabile. Non enim declarat quid sit illud. Unde incidit in opinionem illorum qui dicunt quod est additio perfectionis et vigoris absque nova realitate. Immo et ita dicit expresse quod non acquiritur nisi perfectio. Impossibilis 80 vero quantum ad hoc quod dicit quod huiusmodi partes sunt virtuales, sicut vegetativum et sensitivum in intellectivo virtualiter continentur, quae tamen sola differunt ratione. Huius autem impossibilitas ostensa est rationibus quinto loco inductis ad oppositum arguendo.

85 Opinio Bonaventurae, Ricardi, Scoti.

Quapropter dixerunt alii quod caritas, et universaliter omnis forma, augetur ex hoc quod advenit nova caritas et nova forma eiusdem rationis. Habet autem ista opinio fulciri quinque rationibus supra sexto loco inductis in arguendo.

90 Quamvis autem ista opinio veritatem contineat, si bene intelligatur, quia intelligendo quod huiusmodi pars caritatis quae advenit non sit praecise et integre caritas, sed cum alio caritas impraecise, non habet nihilominus veritatem ad illum intellectum

95 quo currit hodie secundum tenentes eam. Intelligunt enim quod caritas illa quae additur sit vere et praecise caritas intelligibilis et factibilis sine prima, quasi aliud individuum caritatis. Quod autem hoc sit omnino impossibile, ostensum est supra sexto loco ad oppositum arguendo, et magis inferius apparebit.
Et in hoc articulus primus finitur.

**Quid secundum veritatem dicendum est de modo augmenti
caritatis, et omnium accidentalium formarum?**

Circa secundum vero considerandum quod huiusmodi quaesiti veritas ex quatuor propositionibus colligi potest.

[Propositio prima]

105 Quod omnis forma intenditur per aliquid reale adveniens, participans specificam rationem illius formae.

Prima quidem quod omnem formam intendi necesse est per acquisitionem alicuius realis participantis formae illius specificam rationem. Quod enim oporteat advenire reale aliquod, 110 declaratum est supra primo loco ad oppositum arguendo. Et potest evidentius demonstrari, quoniam impossibile est verificari contradictoria de praedicato reali secundum diversa tempora de subiecto quin sit facta mutatio in aliquo reali secundum illa 115 tempora in subiecto. Sed forma quae intenditur prius fuit intensa, deinde remissa. Prius ergo remissa realiter deinde non remissa realiter, sed intensa. Ergo necesse est ut aliqua realitas advenerit subiecto. Non potest autem illa realitas esse pars subiecti, quia anima partes non habet, si loquamur de caritate; nec pars 120 dispositionis, quia aer est dispositissimus respectu lucis; nec pars esse aut participationis formae, cum ista non possint intendi nisi forma intendatur. Ergo necesse est quod in essentia formae sit facta realis variatio.

Praeterea, impossibile est quod aliquid de novo realiter 125 perficiatur aut intendatur, nisi adveniente realitate aliqua perficiente, alioquin materia posset perfici per non realitatem, et secundum hoc forma non differret realiter a materia. Unde negans hanc propositionem tollit viam qua probatur quod forma et materia realiter non sint idem. Sed albedo intensa vere 130 perficitur, actuatur, intenditur realiter. Ergo necesse est advenisse novam realitatem albedinem perficientem.

Praeterea, impossibile est quod idem sit realiter perfectius se vel excedens in perfectione se. Sed albedo intensa est actualior et excedens in perfectione remissam. Ergo impossibile est quod 135 penitus sint idem. Advenit ergo aliquid reale in intensa per quod non sit omnino idem, immo differens a remissa.

Praeterea, impossibile est unam et eandem realitatem esse

terminum a quo et ad quem in eadem transmutatione, quoniam
mobile partim est in termino a quo, et partim in termino ad quem,
140 et recedit a termino a quo, et accedit ad terminum ad quem.
Recedere autem ab aliquo et accedere simul ad illud impossibile
est. Sed in motu intensionis forma qualitativa est vere terminus
ad quem prout est intensa, et terminus a quo prout est remissa. Si
145 enim qualitas non esset terminus ad quem, iam non esset alteratio
quae terminatur ad praedicamentum qualitatis, ut patet quinto
Physicorum. Ergo necesse est quod forma intensa et remissa
secundum aliquam realitatem distinguantur.

Praeterea, omne quod movetur est in potentia ad id ad quod
movetur, quia motus est actus existentis in potentia, tertio
150 *Physicorum*. Omne autem quod est in potentia caret aliquo actu in
quem tendit per motum, ut patet IX *Metaphysicae*. Sed constat
quod subiectum existens sub forma remissa vere movetur ad
formam de genere qualitatis, et ad realitatem aliquam
pertinentem ad illud genus. Ergo necesse est quod aliqua quali-
155 illius generis acquiratur.

Praeterea, omne illud in quod est motus seu omnis forma
secundum quam aliquid dicitur moveri necessario habet partes
quarum aliquae advenire dicuntur, et oppositae illarum re-
cedere. Ita dicit Commentator primo *Physicorum*, commento LXII, quod
160 partes oppositi successive recedunt a subiecto, et sunt in ipso
partes generati. Unde in generatione hominis non ces-
sant partes spermatis recedere et partes hominis fieri donec forma humana
perficiatur, et hoc si forma recipit partitionem. Si autem non, illud
necessario accidit in accidentibus propriis illius forme. Sed
165 manifestum est quod minus album secundum albedinem
movetur ad magis album. Ergo necesse est quod in albedine sint
partes, et quod adveniat aliqua pars albedinis in magis albo.

Praeterea, impossibile est motum esse sine termino, cum non
sit aliud quam via ad aliquem terminum. Adhuc impossi-
170 bile est terminum illum motum praecedere et non capere esse per
motum. Sed intensio formarum accidentalium est vere motus.
Ergo necesse est quod eius terminus realiter acquiratur. Terminus
autem eius est qualitas et non participatio qualitatis, alias alteratio
esset motus ad praedicamentum relationis. Ergo necesse est
175 realitatem aliquam acquisitam fuisse pertinentem ad qualitatem.

Quod vero illa realitas participet rationem specificam illius
formae quae intenditur, patere potest ex hoc quod omne quod
perficitur et augmentatur necesse est per sibi simile perfici et
augmentari. Unde et alimentum perficit et nutrit substantiam in

180 quantum quid, augmentat autem et perficit quantitatem in
quantum quantum, ut patet in secundo *De anima*. Sed formae
intendendae nulla realitas est similis nisi aliquo modo participet
illius formae specificam rationem. Ergo illa realitas per quam
185 formae intenduntur participat aliquo modo rationem specificam
eiusdem formae.

Praeterea, nullum perfectibile per realitatem alterius ratio-
nis dicitur intendi, sed magis trahi, ad aliam perfectionem, et componi
cum ea, sicut patet de forma respectu materiae. Non enim dicitur
intendi materia, dum perficitur per formam. Et similiter idem
190 patet de omni subiecto respectu actus et perfec-
tionis alterius rationis a perfectibili. Talia enim habent se sicut modus et
modificabile. Sed realitas quae formam accidentalem intendit sic
eam perficit ut rationem eius intendat, nec ad aliam rationem
trahat, nec cum prima componitur, sicut actus cum potentia, aut
195 modus cum modificabili suo. Ergo impossibile est quod sit alterius
rationis. Participat ergo specificam rationem ipsius.

[Propositio secunda]

Quod impossibile est realitatem per quam fit
formae intensio excludere a subiecto realita-tem
eiusdem formae praecedentem.

200 Secunda vero propositio est quod realitas per quam forma
intenditur, et actuatur, et perficitur, impossibile est quod exclu-dat
a subiecto priorem realitatem eiusdem formae ut sint tot formae
individuales eiusdem rationis quot sunt gradus inten-sionis et quot
205 fuerunt mutata esse. Impossibile est enim aliquid per infinita
transire, signando quodlibet et distinguendo in actu. Hoc patet ex
sexto *Physicorum*, ubi probatur quod impos-sibile est punctum
moveri ex hoc quod tangeret spatium sibi aequale, et ita omnia
puncta quae cum pertransiret, necessario transiret per infinita
210 signando et distinguendo ea. Sed si in motu intensionis sunt
infinite formae distinctae numeraliter, ita quod in quolibet
mutato esse attingatur una distincta forma numeraliter, sequitur
necessario quod subiectum transeat per infinitas formas signate et
distinctim. Ergo impossibile est ut infinite formae numerales
ponantur.

215 Et si dicatur quod impossibile est infinita pertransire sis-
tendo in quolibet, sed in quodam transitu tangere infinita non est
impossibile, non valet, quoniam propositio includit quod non sit
status in aliquo, sed distinctim et signate pertransean-tur, et adhuc
per hunc modum impossibile est infinita transiri.

220 Praeterea, sicut se habet indivisibile magnitudinis ad mo-
tum qui fit super magnitudinem, sic se videtur habere indivisi-
bile formae ad motum qui fit sub forma. Sed impossibile est aliquid
mobile in motu locali distinctim attingere omnia indi-
visibilia magnitudinis, sicut patet. Ergo aequè impossibile est ut subiectum
225 attingat distinctim et signate infinitas indivisibi-les formas sub
quibus moveatur.

 Praeterea, non est minoris distinctionis actus intellectus quam
actus aut transmutatio aut motus naturalis, cum intellec-tus possit
distinguere quae natura non distinguit, ut Commen-tator dicit XII
230 *Metaphysicae*, commento XXXVIII. Sed intellec-tus non potest
pertransire numerando distinctim infinitas for-mas aut infinita
mutata esse si fuerint, de principio motus in-tensionis usque in
finem. Si enim intellectus posset distinctim pertransire
numerando formas infinitas successive, posset evacuare omnes
235 species numerorum, immo sibi defecissent antequam pervenisset
ad finem, quod est impossibile, cum in numeris sit processus in
infinite secundum species. Unde si incepit numerare a principio

et processit in infinitum in for-
mis, processit etiam in infinitum in
240 numeris, et simul termina-
vit utrumque processum. Processus
autem numerorum inter-minabilis est; ergo et processus illarum
formarum. Et per con-sequens intellectus non potest distinctim
omnia pertransire. Ergo nec natura poterit ista aliquo modo
pertransire, et sic nullus motus intensionis finitur, nec aliqua forma
intenditur in universo.

245 Et confirmatur, quia si intellectus non potest successive
infinita distincte concipere esse, nec natura poterit successive
infinitis formis distinctis dare esse.

Et si dicatur quod dabit esse distinctis, non distinctim, sed
simul, habetur propositum quod distinctae formae eiusdem
250 rationis simul erunt in eodem subiecto. Si vero dicatur quod non
distinctis, nec distinctim, sed pluribus indistinctis, habetur etiam
propositum quod formae non erunt plures, sed una constituta ex
realitatibus indistinctis.

Praeterea, si formae infinitae distinctae sunt pertransitae a
255 principio intensionis caritatis usque in finem—vel albedinis seu
alterius formae—, accipiantur duae consequenter se haben-tes et
immediate se consequentes. Ista igitur duae aut sunt in subiecto
in eodem instanti, et sic habetur propositum, aut sunt in subiecto
in duobus instantibus. Inter duo vero instantia est dare tempus
260 medium. Igitur subiectum fuit per tempus inter-medium sine
omni qualitate secundum quam fit illa intensio. Non enim est sub
priori qualitate, quia instans transivit in quo illa qualitas fuit; nec
subsequenti immediate, quia instans nondum advenit in illo
tempore intermedio. Sed constat quod hoc est impossibile, nam
265 secundum hoc interrumpetur mo-tus intensionis et augmenti
formarum, et esset dare tempus in quo anima careret caritate, et
subiectum quod dealbatur albedi-ne, et sic de aliis formis. Ergo
impossibile est poni quod in quolibet mutato esse acquiratur
forma distincta.

270 Et si dicatur quod non possunt accipi duae formae conse-
quenter se habentes, non valet. Per hoc enim necessario con-
cluditur quod formae illae sunt ad invicem continuatae, non
distinctae. In omni enim multitudine distinctorum et diviso-
rum ab invicem, possibile est, immo necesse est, assignari duo se
275 habentia consequenter. Et haec est ratio quare duo instantia non
possunt se habere consequenter, quia necesse est ea contin-uari
per lineam intermediam. Si vero concedatur quod formae istae
sunt ad invicem continuatae, necesse est quod realitates earum
aliquae sint unum. Se totis autem non possunt esse unum, quia

280 totaliter essent unum; nec suis ultimis, cum ulti-ma non habeant;
nec partem et partem, secundum sic ponentes. Vel si istud
conceditur, habetur propositum quod eadem forma habet in se
partem et partem, et remanet tota forma cum illis partibus, et per
consequens non corrumpitur una pars alia ad-veniente.

285 Praeterea, impossibile est motum componi ex mutatis esse,
aut tempus ex instantibus, sic quod omnia mutata esse sint
distincta in actu et omnia instantia. Et hoc demonstrat Philoso-
phus in VI *Physicorum*. Sed si quodlibet mutatum esse habeat
suam formam distinctam, omnia mutata esse erunt distincta, et
290 similiter instantia in tempore. Sicut enim tota multitudo
formarum discreta est et divisa, sic tota multitudo instantium
oportet quod discreta sit et divisa. Aut si non est divisa inter
instantia quibus coexistunt quaelibet de illis formis, necesse est
dare tempus medium cui nulla forma coexistit, et per conse-
quens formae illae interrumpentur frequenter, et subiectum multociens
295 carebit omni forma illius speciei secundum quam fit augmentum.
Unde cum multitudo omnium formarum co-existat durative
omnibus instantibus quae sunt in toto tempore intensionis et
augmenti, necesse est ut, sicut multitudo forma-
rum est distinctorum in existendo, sic multitudo instantium sit
300 distinctorum in existendo. Sed tempus componi ex instantibus
distinctis et divisis, et motum ex mutatis esse, impossibile est. Ergo
multitudinem partium formae quae acquiritur intensive
impossibile est esse partium realiter distinctarum.

305 Praeterea, nullum continuum totale potest dividi secun-
dum partes multitudinis aut totius discreti. Si enim aliquis imaginetur
quamdam successionem partium discretarum sub-tendi
successioni partium continuarum, impossibile est quod partes
continuae respondeant partibus discretis, alioquin sicut illae
310 sunt consequenter se habentes, sic poterunt sumi in partibus
continui duo indivisibilia se habentia consequenter. Sed si sunt
infinite formae distinctae in uno motu intensionis acquisitae,
totum tempus dividetur, secundum quod dividitur multitudo
formarum discreta, et similiter motus. Probat enim Philosophus
315 VI *Physicorum* quod motus et tempus dividuntur secundum
divisionem formae in qua fit motus. Ergo si ista multitudo est
partium discretarum et formarum indivisibili-um distinctarum,
necesse est quod multitudo indivisibilium motus et temporis sit
discretorum et distinctorum in actu. Et per consequens tempus
320 componetur ex instantibus, et motus ex mutatis esse, quod est
omnino impossibile. Unde istae demon-strationes patent ex VI

Physicorum.

Praeterea, non minus potest Deus conservare quam agens creatum inducere. Sed secundum negantem hanc propositionem, 325 agens creatum potest infra unam horam infinitas formas inducere. Ergo et Deus poterit eas insimul conservare, et sic erit multitudo infinita in actu, quod est contradictio, ut demonstrabitur inferius, agendo de potentia Dei.

Praeterea, plus potest Deus facere quam aliquod agens 330 naturale. Sed in omnibus instantibus quae sunt in una hora in potentia, Deus non potest aliquid distinctum producere, ut evidenter patet. Tum quia per suam actionem signaret omnia instantia unius horae, et sic resolveret horam in instantia, et divisibile in indivisibilia, quod est omnino impossibile. Tum quia 335 posset omnia illa quae faceret in illis instantibus conservare. Tum quia totidem faceret in instantibus unius horae quot in instantibus unius anni. In tot enim instantia divideret unum sicut reliquum. Ergo impossibile est quod agens naturale in omnibus instantibus quae sunt in potentia inducat indivisibilem formam.

Praeterea, omnis forma indivisibilis acquiritur per indivisibilem mutationem. Unde Commentator dicit VI *Physicorum*, 340 commento XLV, quod quando forma est indivisibilis, manifestum est quod transmutationes sunt indivisibiles. Sed si distinctae formae acquirantur et infinitae in una intensione et augmentatione, quaelibet de illis formis erit indivisibilis. Ergo 345 cuiuslibet illarum acquisitio erit per simplicem mutationem, et per consequens erunt ibi infinitae mutationes, et componetur motus ex mutationibus, et multa alia inconvenientia quae sequuntur.

Quod praemissa propositio non impeditur ex 350 his quae apparent in motu locali, et ostenditur quod non est ubi-tatum successio, sed translatio secundum partes magnitudinis.

Sed forte ad omnia ista dicitur quod per ea concluditur quod non sint infinitae ubi-tates distinctae in motu locali. Et tamen 355 manifeste apparet quod immo sunt infinitae. Non enim durat una ubi-tas nisi per unicum instans. Nec secundum se totam, quia tunc mobile esset plusquam per unum instans in uno ubi totaliter, et per consequens non moveretur. Nec secundum partem, quia illa pars ubi-tatis vel remaneret in eadem parte mobilis, et per 360 consequens illa pars non esset mota, et ita nec totum, cum moto toto moveantur omnes partes, vel ponetur in alia parte, et secundum hoc migrabit de subiecto in subiectum, quod est contra naturam accidentis.

365 Ad hoc autem respondent illi qui sunt de quinta opinione
superius recitata quod non est simile de motu ad ubi et de motu
ad formam, quia numquam mobile dimittit totum ubi primum
quando movetur ad secundum, sed semper continuat prae-
cedens cum sequenti.

370 Sed haec solutio assumit impossibile, videlicet quod mobi-
le non dimittat simul totum ubi. Constat enim quod ubi est
subiective in mobili et locato, ut Auctor *Sex principiorum* dicit quod
passiva circumscriptio est subiective in corpore circum-
scripto. Si ergo non dimittit simul totum ubi, retinet sibi aliquam partem
ubeitatis. Quae vel remanebit subiective in eadem parte mobilis
375 ubi extitit prius, et sic de necessitate concluditur quod illa pars non
mutavit ubi, et per consequens non est mota; ea vero non mota,
necesse est totum quiescere, quia totum quiescit ad quietem partis,
ut demonstrat Philoso-phus VII *Physicorum*. Si vero ubeitatem
illam retinet in alia parte ubi ante non fuit, migravit ubeitas de
380 subiecto in subiec-tum, quod impossibile est. Unde nullo modo
est verum quin simul mobile totum ubi relinquat.

Propterea dixerunt alii quod ubi habet suos gradus intrin-
secos, sicut quantitas, ratione quorum fit successio in motu ad ubi.

385 Sed nec iste modus sufficit, quia de illo gradu intrinseco
quaerendum est ubi remanet subiective? Aut enim in parte ubi
fuit, et per consequens pars quievit, et totum non est motum, aut
in alia parte, et secundum hoc migravit de subiecto in subiectum.

Et propterea dicendum est quod istud medium fundatur in
falsa imaginatione. Oritur quidem haec difficultas ex hoc quod
390 philosophantes imaginantur hodie motum localem esse tamquam
in terminum ad circumscriptionem passivam. Hoc autem omnino
falsum esse satis apparet. Constat enim, ut Commentator deducit
quarto *Physicorum*, quod ultima sphaera movetur localiter, sed
non movetur ad aliquod ubi aut circum-scriptionem passivam.
395 Non enim sphaera ultima habet extra se corpus ambiens et
circumscribens. Ergo motus localis non est tamquam ad
terminum formalem et per se ad ubi sive ad circum-scriptionem
passivam.

400 Praeterea, si motus localis esset essentialiter et per se ad ubi,
quod est passiva circumscriptio, variatis passivis circum-
scriptionibus, diceretur corpus localiter esse motum. Sed hoc est
omnino falsum. Variatis enim circa navem aqua et aere, non est
dubium quod variatae sunt circum-scriptiones et contin-entiae.
Nihilominus navis in flumine non est mota. Et simili-ter vento
405 aerem circa turrem aliquam agitante, nullus diceret quod turris

mota sit de loco suo. Nihilominus aer continens motus est, et per consequens turris circumscriptionem amisit, qua circumscribatur et ambiatur ab aere. Ergo motus localis non est directe in ubi quod est passiva circumscriptio.

410 Praeterea, si motus localis esset per se et directe ad ubi, tunc ubiitates et circumscriptiones passivae fluentes dicerentur motus localis materialiter, et subiectum talis fluxus diceretur localiter moveri. Sed manifeste videmus oppositum in turre circa quam fluunt ubiitates et circumscriptiones passivae continuae, dum
415 ventus mutat aerem circa ipsam. Tunc enim turris mutatur ab uno contineri in aliud continue et successive, secundum quod continentia continue transportantur a vento. Et tamen turris non dicitur propter hoc subiectum motus localis. Ergo passiva circumscriptio non est per se terminus, nec per se acquisitum per
420 motum localem.

Praeterea, si poneretur per impossibile quod unum corpus posset moveri per aliud, alio non cedente, quod utique est impossibile secundum philosophos, possibile vero apud catholicos in corporibus gloriosis, non est dubium quod talia corpora vere et
425 localiter moverentur, nam de corporibus Beatorum dicitur Sapientiae tertio quod *tamquam scintillae in arundineto discurrent*. Sed manifestum est quod talia corpora non acquirerent circumscriptionem passivam. Unde si corpus gloriosum moveatur infra spissitudinem caeli solidam nec cedentem, nulla erit
430 ibi circumscriptio nec continentia, sed solummodo similitas et assistentia. Ergo non est verum quod motus localis sit essentialiter et directe acquisitio ubiitatum et passivarum circumscriptionum.

Praeterea, illud quod non est de necessitate motus localis per se, sed magis quietis, non est formalis terminus et directus qui
435 acquiritur per motum localem. Sed Commentator dicit expresse quarto *Physicorum*, commento XLIII, quod locus continens non est de necessitate essendi rem motam per se, sed est de necessitate essendi quietem naturalem. Quiescentia enim in aliquo loco non quiescunt nisi propter similitudinem continentis, et quando
440 privatur continente, movetur ad ipsum naturaliter, et ideo moveri in continente est extra naturam. Est enim propter hoc quod res mota non habet suum ubi naturale. Quod autem movetur non in continente, sed circa quiescens, est illud cuius motus non est per accidens et extrinsecum a natura, et haec est
445 dispositio corporis rotundi caelestis.

Ex his quidem verbis Commentatoris apparet quod motui locali accidit passiva circumscriptio, nec ordinata est talis cir-

cumscriptio propter motum localem, sed tantum propter con-
450 servationem locati. Unde corpora naturalia non ex vi motus
localis moventur ad continentiam ambientis, sed tantum ut
conserventur. Et propter ignorantiam huius dicti erraverunt
Avempace, Themistius, et Alexander, ut Commentator dicit
ibidem. Quia enim imaginati sunt quod motus localis esset directe
455 ad ubi circumscriptioem et ad passivam continentiam, non
potuerunt videre quomodo sphaera ultima localiter mov-
eretur. Unde et Avicenna opinatus est quod corpus caeleste non
transferretur localiter, sed tantum secundum situm, quod est
contra Aristotelem et contra verum, ut Commentator subdit
ibidem, commento XLV. Ergo formalis terminus qui directe
460 acquiritur per motum localem non potest esse ubeitas quae est
passiva circumscriptio, vel alius respectus quicumque.

Et idcirco tenendum est incunctanter quod motus localis est
directe in locum, accipiendo per ipsum non superficiem
continentis, sed superficiem corporis quiescentis. Dicit enim
465 Commentator VI *Physicorum*, commento XXXIX, exponens illud
Philosophi quod longitudo dividitur et omne illud in quo est
transmutatio, quod spatium per quod est motus in ubi divi-
ditur per divisionem motus. Et subdit quod transmutatio quae est in
ubi numeratur in quantitate.

470 Similiter etiam quarto *Physicorum*, commento XLIII, dicit
quod de ratione illius quod movetur per se non est contineri, sed
moveri super quiescens. Et quia de ratione motus localis est quod
sit super magnitudinem, ideo concomitatur motum local-em
475 diversitas situs et varietas commensurationis mobilis et moti, et
circumscriptio, si magnitudo contineat mobile. Unde patet quod
nec situs, nec commensuratio, nec circumscriptio sunt id in quod
est essentialiter motus localis, sed motus est directe super
magnitudinem. Unde est fluxus mobilis secun-
480 dum diversas partes magnitudinis, sicut dealbatio est transmu-
tatio secundum diversas partes albedinis. Nec est differentia nisi quod partes
albedinis sunt inhaerentes, partes vero magni-
tudinis non. Et hinc est quod mobile dicitur transmutari super magnitudinem, et non
secundum magnitudinem, quia non inhaeret, quod vero dealbatur
dicitur secundum albedinem transmutari, et non super albedinem.
485 Motus ergo localis non est nisi transmutatio de parte magnitudinis
in partem magnitu-
dinis, non transmutari de parte ubeitatis in
partem ubeitatis, immo exclusa omni ubeitate et circumscriptioe
passiva, caelum dicitur moveri de oriente in occidens.

Et ideo Commentator, loquens contra Avicennam, dicit

490 quarto *Physicorum*, commento XLV, quod aliud est motum esse
situalement quia mutatur de situ in situm, et aliud quia est in ipso situ,
per hoc innuens quod ad motum localem bene sequitur variatio
situs et ubi. Si mobile contineatur ab aliquo ambiente,
495 nihilominus non est formaliter et directe tamquam in terminum,
in situm, vel ubi.

Patet itaque satis faciliter quomodo deficit illa imaginatio
quae putat motum localem esse continuum, et tamen quod
ubi variatur secundum quodlibet instans. Impossibile enim
esset, si fluxus ubi esset motus localis—ita quod motus
500 esset formaliter et directe ad ubi, et diceretur mobile moveri
secundum aliam et aliam ubi—impossibile, inquam, esset
quod motus localis continuitas salvaretur, et quin omnia
sequerentur quae arguendo pro positione superius sunt inducta.
Sed quia sic se habet magnitudo super quam fit motus localis ad
505 ipsum motum translationis sicut forma albedinis aut alia qualitas
secundum quam fit motus alterationis ad ipsam
alterationem—sicut enim corpus dicitur dealbari quia transfer-
tur de parte albedinis ad aliam partem, ita dicitur localiter moveri quia
transfertur de una parte magnitudinis ad aliam—evidenter
510 apparet quod motus localis est continuus propter continuitatem
magnitudinis, quae acquiritur secundum partem et partem. Unde
si partes magnitudinis essent discretae, sicut imaginantur aliqui de
formis in motu alterationis, impossibile esset motus continuitatem
salvare.

515 Nec debet moveri aliquis ex hoc quod Philosophus dicit in V
Physicorum quod motus est in tribus praedicamentis, videlicet
quantitate, qualitate, et ubi. Non enim intendit quod sit directe et
per se in ubi prout est passiva circumscriptio, sed quia in
naturalibus motus localis ordinatur ut habeatur passiva cir-
520 cumscriptio. Ideo enim terra transfertur localiter ut veniat ad
concavum aquae, et ibi circumscribitur et conservetur. Unde sicut
alteratio praevia generationi dicitur motus in substantiam quia
forma substantialis est terminus illius alterationis extrinsecus, et
alteratio ordinatur naturaliter ad illam, sic motus localis in
525 naturalibus ordinatur ad hoc ut corpora naturalia veniant ad
superficiem ambientis, ut Philosophus dicit in quarto *Physicorum*.

Et si dicatur ultra quod Philosophus negat motum in sub-
stantiam, et tamen concedit in tria praedicamenta, quorum unum
est ubi, et secundum hoc videretur quod motus localis esset
530 directe in ubi, et non sicut alteratio in substantiam, dicen-
dum quod mutatio quae est in forma substantiali habet proprium

nomen. Eius enim abiectio appellatur 'corruptio', et adquisitio 'generatio'. Acquisitio vero ubi et eius abiectio non habet aliud nomen a 'motu locali'. Sicut ergo si non haberet generatio
535 nomen diceretur quod alterationum quaedam terminatur ad substantiam, quaedam non, sic dicitur quod motuum quidam terminatur ad ubi, quidam vero ad quantitatem, per hoc volendo exprimere quod super quantitatem quidam est motus ex quo acquiritur ubiatio.

540 Et simili modo intelligenda sunt verba Commentatoris tertio *Physicorum*, commento quarto, cum dicit quod motus nihil aliud est quam generatio partis post aliam illius perfectio-nis ad quam tendit. Et ponit exemplum de ubi. Non est enim sua intentio quod in ubi per se et directe sit motus, immo oppositum huius
545 probat sexto *Physicorum*, commento LXXXV, dicens quod omne ad aliquid est indivisibile; situs autem est indivisibilis; et ideo in ipsum non est motus. Et pari ratione concluditur de ubi, cum probatum sit supra quod acquiritur indivisibiliter et in instanti.

Nec debet etiam quis moveri ex hoc quod mobile non est
550 subiectum magnitudinis, nec aliquo modo videtur moveri super magnitudinem nisi ex hoc quod transfertur de praesentia quam habet ad unam partem ad praesentiam quam habet ad alteram partem magnitudinis. Haec autem praesentialitas non est aliud quam ubiatio. Et ita videtur quod motus localis directe et per se
555 sit de ubiatio in ubiatio.

Hoc quidem movere non debet. Non est enim verum quod
560 movens aliquod corpus sua actione primo et per se moveat de praesentia in praesentiam, vel de simultate in simultatem, vel de tactu et coniunctione unius partis ad tactum et coniunctionem cum altera parte magnitudinis, quia coniunctio, unio, simultas, et similia, relationes sunt. Nec sunt de praedicamento ubi, cum passiva circumscriptio, et praesentia, ac simultas non sint idem. Primum ergo et per se quod movens immediate inducit est
565 translatio secundum partes magnitudinis, sicut primum quod inducit alterans est transmutatio subiecti secundum partes formae. Unde de ratione motus in quantitate est quod sit transmutatio mobilis secundum partes continuas alicuius et in alteratione quidem secundum partes formae, in motu vero locali secundum partes alicuius distantiae et magnitudinis. Unde habet
570 se distantia et magnitudo respectu motus localis sicut forma respectu motus alterationis. Et sicut translatio secundum partes formae est subiective in alterabili, quamvis terminative sit secundum partes formae, sic translatio localis est subiective in

575 mobili, quamvis fiat quasi terminative secundum partes
magnitudinis.

Et si dicatur quod motus non potest ab agente immediate
imprimi nisi prius reale aliquid imprimatur quod sit materiale in
motu, dicendum quod non est verum in motu locali qui non
580 potest fundari super ubeitates aut praesentialitates, quae sunt
quidam respectus. Potius enim praesentialitates mobilis ad partes
magnitudinis variantur propter impressionem motus. Nec debet
haec imaginatio fallere. Tum quia difficilius est videre quomodo
respectus ad ubeitates per prius imprimantur quasi fundamenta
585 motus localis quam sit e converso, quod scilicet translatio
immediate in mobili inducatur, et sic sequantur respectus et
ubeitates. Tum quia in motu alterationis agens praehinducit
transmutationem partibus formae. Transmutando enim inducit
formam.

Et si dicatur ulterius quod motus localis nullam habitudi-
nem
590 habet ad magnitudinem nisi quatenus est partes ubi et continui
contactus partium magnitudinis, dicendum quod immo, habet
propriam habitudinem in quantum motus. Omnis enim
transmutatio fit secundum aliquas partes, ita quod motus et est in
subiecto transmutatio quaedam, et est respectu partium
595 aliquarum secundum quas dicitur transmutari, ut calefactibile
secundum partes caloris. Et est ista habitudo quam habet motus
ad terminum a quo, et ad terminum ad quem, et ad media inter
illa. Et talem habet per se translatio ad principium magnitudi-
nis
600 tamquam ad terminum a quo, et ad finem tamquam ad ter-
minum ad quem, et ad partes intermedias tamquam ad medi-
um
secundum quod continuatur et procedit. Nec est aliqua differentia
in isto motu et motu alterationis nisi quod forma et transmutatio
secundum formam sunt in eodem subiecto in motu alterationis, in
605 motu vero locali transmutatio est in mobili, forma vero
secundum quam fit non est in eo subiective, sed extra; et iterum,
quod forma et partes formae secundum quas fit transmutatio
necessario noviter inducuntur, in motu vero locali omnino
praeexistunt. Sic igitur non est verum quod mobile moveatur de
610 praesentia ad praesentiam super magnitudinem, immo movetur a
principio magnitudinis usque ad finem tamquam a termino a quo
ad terminum ad quem. Nullus enim umquam dixit quod
praesentia sit terminus a quo, et alia praesentia terminus ad quem,
sed finis et principium ipsius magnitudinis se habent sicut termini
huius motus.

615 Nec debet etiam quis moveri ex hoc quod super magni-

tudinem discontinuam videmus fieri motum continuum, ut quando lapis de aere subintrat aquam. Aqua namque et aer non sunt continua sed contigua.

620 Non debet siquidem hoc movere pro eo quod ad continui-
tatem motus sufficit quod partes magnitudinis tangant se in
puncto. Mobile enim in toto spatio non attingit punctum per se et
distincte, sed tantum in potentia. Et quoniam in simul tangentibus
puncta sunt simul et in eodem situ, nec cadit inter ea distantia,
625 mobile in movendo poterit attingere in potentia illa puncta, quia
sunt unum in situ. Nec est ibi situs divisus in actu. Non sic autem
esset si tota distantia esset composita ex punctis. Tunc enim essent
ibi infinita non se tangentia, sed tantum se habentia consequenter
et inter se distincta in situ. Propter quod impossibile esset talia
630 pertransire, et secundum hoc formas infinitas distinctas nec se
contingentes impossibile esset pertransire, si ponerentur in uno
motu alterationis aut intensionis formae accidentalis.

Apparet igitur quod remanent rationes inductae ad confir-
mandum secundam propositionem. Nec instantia de motu locali
quantum ad ubeitates quae videntur esse infinitae num-ero et
635 distinctae, in aliquo impediunt rationes inductas.